



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1063. Usque Ad Annum 1100

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117964

§. 18. Lambertus Sedis Teruanensis Usurpator.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66363](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66363)

Sæculum XI.

§. XVIII.

A.C. 1084.

Lambertus Sedis Teruanensis Usurpator.

Gall. Chrif. In Francia Hubertus Episcopus Teruanensis ad dimittendam Ecclesiam suam

to. 2. p. 430.

compulsus in Monasterium S. Bertini se recepit, eique quidam nomine Lambertus, Roberti Frisonis Comitis Flandriæ auctoritate, per electionem subrogatus est. Clericis deinde Teruanensibus querelas moventibus, Lambertus in Concilio Meldensi ab Hugone Archiepiscopo

Greg. I. IX. Lugdunensi & Amato Episcopo Uliaren-

ep. 34.

si, Papæ Legatis, Excommunicationis vinculo adstrictus est. Hic conijcere

to. 10. p. 401. possumus, quod sermo sit de Concilio

Meldensi, decima nona Octobris, anno millesimo octogesimo secundo, celebrato, in quo, Gualterio fatis functo, Robertus Abbas Resbacensis Episcopus Meldensis ordinatus est. Quia vero Hugo Legatus hanc Ordinationem sine consensu Richerii Archiepiscopi Senonensis ejusque Suffraganeorum peregerat, Roberto excommunicato, ei alterum Gualterium suffecerunt, qui Episcopatum Meldensem obtinuit.

Gall. Chr.

to. 3.

Itaque Lambertus electus Episcopus Teruanensis in hoc Concilio condemnatus est, quod insciis omnibus Ecclesiam suam deseruisset, & quinque Clericos ad

Con-

Concilium Romanum proficisci volentes, **Sæculum XI**,
 ut ipsum accusarent, vinculis dedisset. (*) **A.C. 1084.**

Ipse autem excommunicationem Lega-
 torum vilipendens, Diaconus, Presbyter
 & Episcopus ordinari voluit ab Episcopis
 a suo munere suspensis. Exinde eum
 Comes Flandriæ cum valida armatorum
 manu adveniens, in possessionem immi-
 sit, cumque januæ Ecclesiæ essent clau-
 sæ, eas hastis & securibus perfodi iussit.
 Ante portas autem clausas posita erat
 effigies Crucifixi, ejusque digitis pagel-
 lam inseruerant, protestationem contra
 Lambertum continentem, quam ille una-
 cum Christi dextra avulsit. Lamberto
 deinde Ecclesiam intrante quidam Cle-
 rici vulnerati, alii in fugam acti sunt,
 ejusdemque jussu ædes omnium illorum,
 qui cum ipso communicare detrecta-
 bant, direptæ. Comes Flandriæ vero
 omnes Clericos, Lamberto obedire re-
 cusantes, omnibus Bonis spoliatos e suis
 Ditionibus ejecit.

Verum postquam Lambertus his modis
 possessionem Ecclesiæ Teruanensis cepis-
 set, duo Optimates ejusdem provinciæ par-
 ticipari retulerunt. Quippe perfossis Ecclesiæ
 januis vasa argentea & vestes pretiosas ra-
 puerunt, Lamberto ab Altari, ante quod
 pro-

(*) Non satis apparet quam Ecclesiam Lam-
 bertus deseruisse dicatur.

Sæculum XI. prostratus jacebat, abstracto linguam re-
A.C. 1084. secarunt, & manus dexteræ digitos am-
 putarunt. Ipse Romam profectus, vim

sibi illatam detulit, & Comes quoque da-
 tis literis Lambertum Pontificis benevo-
 lentia commendavit, qui cum literas Ar-
 chiepiscopi Lugdunensis nondum acce-
 pisset, commiseratione motus Lamber-
 tum a sententia excommunicationis in
 eum lata absolvit, sed postquam ab eo
 juramentum exegisset, quod Judicio Sa-
 cræ Sedis aut Legatorum ejus in cau-
 sa Episcopatus Teruanensis acquiesce-

IX. ep. 30. re vellet. Tum Papa datis ad duos
 illos Optimates, facinoris auctores,
 literis excommunicationis fulmen mina-
 tur, nisi crimen in Judicio Archiepiscopi
 Lugdunensis & Abbatis Cluniacensis Le-

IX. ep. 32. gatorum suorum expient. Ad Archiepi-
 scopum quoque Lugdunensem data epi-
 stola præcepit, ut Concilium convoca-
 ret, in quo causam istam accurate discu-
 teret. *Quia vero, ait, Lamberto Episco-
 po suspectus es, quod Regem Francia in-
 micum habeas, socium tibi accipe Abba-
 tem Cluniacensem. Lambertum leniter
 habebis, quantum salva justitia poteris,
 tum quod non nullum pænæ genus sit, iter
 ad nos Romam suscepisse, tum etiam ut
 Comitis Roberti precibus aliquid demus.*

Exinde Papa, ubi intellexit se errasse,
 datis ad Comitem literis eum Lamberti
 factio-

factionem deserere jussit. Sed Comes *Sæculum XI.*
 spretis monitis in Papæ nuncios convicia *A.C 1084.*
 ingessit. Postquam igitur Gregorius bis *IX. ep. 34.*
 incassum scripssisset, ad Episcopos & Opti-
 mates Comiti subjectos, præcipue ad Ge-
 rardum Cameracensem, Ratbodum No-
 viodunensem, Roriconem Ambianensem,
 conversus jussit eos Comitem vehemen-
 ter hortari, ne amplius Apostatam suo
 præsidio dignaretur. Tandem alio, no- *IX. ep. I.*
 mine Gerardo, Canonice ad Episcopale
 munus electo, anno millesimo octogesi-
 mo quarto, Papa Comiti præcipit, ut eum
 recipiat, & exprobrat, quod adhuc Lam-
 berto favere videretur. Ita finita est hæc
 causa, nam Gerardus Sedem deinde Te- *Gall. Christ.*
 ruanensem annis circiter quindecim ob- *to. 2. fol. 430.*
 tinuit.

§. XIX.

S. Arnulphus Sueffionensis in Flandria.

Porro Arnulphus Archidiaconus Terua-
 nensis & ad S. Audomarum Præposi-
 tus illorum præcipuus erat, qui Lamber-
 tum intrudi, & a Roberto Comite defen-
 di apud Papam conquesti fuerant. Sed
 erat præterea alia odii causa, nam Ar-
 chidiaconus cum non nullis viris nobili-
 bus conjuraverat, qui Robertum usur-
 patorem & turbulenti ingenii virum pel-
 lere, & Balduinum, Comitem Hannoniæ
 ex Fratrem Roberti natu majore genitum,
 Comitem Flandriæ salutare moliebantur.